GRAMMATICALE BELLVM NOMINIS & Verbi Regum, de principalitate orationis inter ſe contendentium, nuper editum a Reuer. d. Andrea Salernitano Patricio Cremonenſi.

GRammaticæ prouinciam, cæterarũ omniũ, quæ ubiq; terrarum fama celebres ſunt, pulcherrimam, felicißimãq; eße, nemo ferme uel mediocriter eruditus eſt qui ambigat. Quippe cum amœnitate ſitus, ſalubritate cœli frugũ omnium copia, rebuſq; aliis quibus mortalis hæc uita carere nõ debet, nulli cedat: tum illuſtrium uirorũ nutrix ſempre extitit & alumna. Sicuti enim ætate hac, ita priſcis etiã temporibus inuiolabiliter obſeruatum fuit, ut quicquid ubiq; gentium (Barbaras & deſides nationes ſemper excipio) gigneretur ingenij bonæ indolis, alicuius ue ſpei, eo ſanctißimis imbuẽdum diſciplinis mitteretur: ex hac ſiquidem ad ſubliniores regiones, beatioreſq; habitationes, Dialecticam ſcilicet, Philoſophiam, Theologiam, cæteraſq; illis ſimiles prouincias, unicus aditus patet, & niſi eam peragrauerit, in illarum ſacraria minime quis ualeat penetrare. Quæ quidem licet tanta polleat amœnitate, & rerum copia, eſt nihilominus altißimis circundata montium criſtis, & inaceßis eo uſq; circumſepta alpium iugis, ut niſi peritum habeas itineris ducem, ad eius plana, cultaq; nunquã ualeas peruenire. Fuit proinde, & nunc eſt eius prouinciæ regibus laudabilis & pius mos, ne mortalium genus tam neceſſario bono priuari queat, ex ſuis militibus ueteranos (quos pædagogos uocant) in omnes mundi partes dirigere, qui tenerioris ætatis adoleſcentes (nã adulti & prouectiores haud facile diſciplinã recipiunt) ad ipſa uſq; regum palatia incolumes perducant

ubi & Latiæ & Cecropiæ Mineruæ artes erudit i, prædictas poſtea ſublimiores regiones ſcandere ualeant, & expeditius penetrare, ibi Græci omnes, Latiniq́; quos uel propia ſcripta, uel aliena celebrant monimenta, tyrocinia ſua prima exercuere, ibiq́; edocti, atq́; inſtructi, tantis poſtmodum fluere geſtarum rerum præconiis, ut uiuentes, ætatis ſuæ hominibus maximo ad uirtutem fuerint adiumento: & uita functi, poſteris, tanquam extenſo digito, recti ad laudabilem uitam callis ſemitam demonſtrarint. Prouincia hæc itaq́;, licet unica ſit, & indiuidua, geminos tamen habet qui in ea imperent, potentiſſimos reges, Verbum ſcilicet & Nomen, & prior quidem Amo, poſterior uero Poeta nuncupatur: qui diutiſſimis tēporibus tanta ſimul regnauere concordia, ut in conficienda oratione, ex qua utriuſque imperij uectigal omne conſiſtit, nullū unquam diſsidium, nulla diſſenſio, nullum denique litigium inter eos fuerit auditum. Nihil autem in omni Grammaticæ ſolo gignitur oratione præclarius, nihil dignius, nihil ſalubrius, quæ iucundiſſimis compacta florum coloribus, pulcherrimis ornata rerum figuris, ac ſuauiſſimis redimita roſarum nexibus, tantæ eſt autoritatis & uirtutis, ut cum mortales omnes (modo recte apteq́; peroretur) in ſui admirationem trahat, tum a dijs ipſis, quicquid uoluerit ualeat extorquere: Vnde eſt illud Euripidis dictum, Omnia conficit oratio, quæ hoſtile ferrum conficere non poteſt. Et Pyrrhus plures a Cynea oratione, quam a ſe armis urbes captas dicere cōſueuerat. In hac igitur Regum concordia, cum Grāmaticæ totius res optime procederent, feliciq́; proſperarentur ſucceſſu, accidit ut orta inter eos ex parua cauſa diſſenſione, cuncta tumultibus, & inexpectatis bellorum anfractibus inuoluerentur. Quid enim non faciant uinum, & immoderatus ſumptæ epulæ? Tantam animorum coniunctionem unius conuiuij ebrietas in eas im-

pulit utrunq; regem inimicitias, ut immoderata dominandi libidine tanquam ſylueſtres tauri aſylo acti, propria regna, & tam nobile Grammaticæ imperium pene euerterint. Referā autem quonam pacto geſta ſit res: ut ſciant omnes, nullum eße tam arctum amoris uinculum, quod regnandi libido non ſoluat. Quapropter Dionyſium ſeniorem dicere ſolitum ferunt, Ab amicis etiam cauendum eße ei, qui præſit: quando ignatus non ſit eos imperare malle, quam ſeruire. Cœnantibus itaque aliquando prædictis regibus in medio æſtatis feruore ſecus placidisſimum, & perennem fontem, cuius ripas undique uirides fagi, & altisſimæ platani, opacitate eximia adumbrabant, poſtquam abunde uentri factum eſt ſatis, cum incaluißent omnes mero, orta eſt inter eos quæſtio, cuiuſnam partes in conficienda oratione potiores cenſerentur. Et Verbo quidem digniorem locum ſibi adſcribente, acriter reſiſtebat Nomen, aſſerens ſine ſe ſtare orationem non poſſe, ex ſeque procedere, quòd intelligibilis habeatur, & grata. Quid enim (aiebat) facis tu in oratione ſine me? Si paululum præſentiam meam ſubtraxero, non ſecus te intelligant audientes, ac mutum loquentem: confice illam paulisper ſine me, fac ut ſciant audientes quid tibi uelis: certe niſi ipſe interpres accedam, uel ipſa intentionis tuæ primordia nullus ualeat penetrare. Sed & illud notari eſt dignum, quod quo te antiquior ſum, eo etiam dignior debeo comprobari. Quis uero neſciat fuiſſe prius Nomen, quàm Verbum? Aut quis non intelligat Nomini, quàm Verbo uetuſtiora adeße exordia? Deum certum eſt feciße omnia, quòd ſi omnia, utique & uerbum: Deus autem nomen eſt, non uerbum: Igitur à nomine facta ſunt omnia: & non ſolum oratio à Deo facta eſt, & ſic à nomine. Sed & tu ò Verbum, qui

adeo inſoleſcis, a nomine tuum eſſe ſumpſiſſe conuinceris. Legiſti tu aliquando, Inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne baptiſta? *dei hæc eſt ſententia, huic refragari minime tibi fuerit fas. Si* Ioanne *nullus eſt maior:* Ioannes *autem eſt nomen eius. Et cui nomen erat* Ioannes *apparet certe nihil maius.*Nomine *poſſe reperiri. Sexcenta ſunt teſtimonia quæ poßint afferri, quibus luce clarius diffinitur, ſicut dignitate, antiquitateq; ita & autoritate* Verbo *lōge* Nomen *eſſe præſtantius: quæ omnia ſponte prætereo, ne uerboſitate nimia, nō cauſa.*Verbum *ipſum uidear ſuperare. Mirabar (reſpondit* Verbum*) o* Poeta*, q̃ te* Plato *ille diuinus ſua eieciſſet republica: nunc animaduertens quanta impudentia, temeritateq; diuinas autoritates tuis ineptiis inuoluas, ſapientißimum philoſophum recte iudicaſſe ſatis animaduerto: nā niſi te, ea quā conſtituebat, replubica exhibilaſſet cum aliis multis, tum falſis religionibus, portentoſisq;* Diis*, omnium ciuium ſuorū mētes peruertiſſet. Quid enim non audeat tua arrogantia, tua mentis elatio, quando poſſeſſa a me diuturno tempore prioris loci in hac prouincia dignitate, uel cum fictis, inuerſis, & intortis ſacræ paginæ teſtimoniis exturbare conaris?* Enimuero *ne ſolus literas ſcire uideare manifeſtißimis & planißimis eiuſdem paginæ dictis autoritatem meam conſeruabo. Proferam autē ipſum ueteris ſcripturæ caput, ubi dicitur,* In principio erat uerbum, & uerbum erat apud deum, & deus erat uerbum. *Arrige aures cur faciem caperas?* Deus, *inquit, erat uerbum: omnia per ipſum facta ſunt, et ſine ipſo factum eſt nihil:* Non *igitur.*Nomen *fecit omnia, ſed* Verbum. Deus *autem erat* Verbum*, non* Nomen: Sed *&* Verbo *domini cœli firmati ſunt, & omnis uirtus eorum. Quid igitur dices: non eſt quod te diuinis tuare teſtimoniis, quæ pro me ſtare, tibiq; aduerſari intellexiſti.* Verum *ad ea, quæ ad noſtra uere attinēt cauſam,*

reuertamur. Quænam eſt, per immortalem deum, hæc tua inſania? unde hos tibi tam repente ſumpſiſti ſpiritus, ut audeas in oratione digniorem tibi locum uſurpare? An te præterit omnem decorem, pulchritudinẽ, ac ſuauitatem ex me uno procedere? a Verboq; Nomen, non a Nomine Verbum regi conſueuiſſe? Verborum uerietas, uerborum elegantia, orationẽ exornat & illuſtrat, ſed & niſi te regam ac dirigam in oratione tu ipſe mancus, & debilis reperiare. Poteris ne tu conſtructionẽ unam connectere, in qua non cõtinuo mihi principales partes tribuantur? Sed & me ſolum, qui inter uerba principatum teneo, ſic alterius adminiculo orationem perfectam, cum uoluero, facere poſſe nemo permittitur dubitare. Quid ergo blatis, &, quod ille ait, tuas proiicis ampullas, & ſeſquipedalia uerba? Quis uero es tu? qualisue: aut quantus? qui hæc lactas, qui tam alte roboas, qui eo uſq; inflatus incedis, ut periculum ſit, ne medius dirumpare. Nominũ inquies, rex ſum. Sed quod tibi eſt nomen? Poeta, reſpõdens. Quid autem aliud eſt poeta, quam nugigerulus, nugiuendulus, fabularum inuentor, ſcelerũ magiſter, loquax, nugax, mendax, ebrius & fatuus: qui uera inuertas, falſa ingeras, totumq; orbem garrulitate inficias & perturbes: qui loquacitate tua tantam tibi apud imperitũ uulgus autoritatem uſurparis, ut cum clariſſima Verborum progenie de dignitate audeas diſceptare. Quid ex te habent unde ad uirtutem incitentur aduleſcentiores, (quos ſtulte ſatis erudiendos parentes eorum tibi tradidere) niſi adulterum Iouem, zelotypam Iunonem, meretricem Venerem, mœchum Martem, reliquaq; tuæ ſapientiæ præclara commenta, qui cum plus iuſto aliquantulum biberis, tanquam deo, non mero, plenus, ad inſtar laruati, ceritiq;, cœlum terræ, terram cœlo audeas permiſcere? Ad hæc ira uehementiore excandeſcens rex Poeta ignominiamq; ac iactata de ſe probra ferre non

ualens, O improbum, inquit, caput, talia de nobis temerario ore dicere præſumpſiſti? Simulq; arreptum poculum, in illũ furibundus immiſiſſet, ni ex circunſtantibus quidam apprehenſam eius dextram ab ictu diuertiſſet. Minime dubium eſt quin irritatis utrinq; animis ex uerbis ad uerbera, uulneraq; deueniendum fuerit, niſi interuenientes ſeniores, & ſaniores uiri, utrunq; regem furore ebrium in ſuas ædes reduxiſſent. Quo cum poſtridie ambarum partium ſtudioſi conueniſſent, maxima apud omnes de pridiana cõtentione diſputatio habebatur. Lacerabatur præcipue inter Nomina, regis Verborum maledicentia: maior eorum pars, & iuniores præcipue, mirum in modum fremere, malo domandant regis Amo loquacitatem dicere, docendumq; illum amplisſimam Nominum maieſtatem nunquam contumeliæ fuiſſe opportunam. Et licet ætate prouectiores, & Terentius præcipue qui ibi tunc aderat, ſuaderent nihil præcipitata ſententia fieri debere, & omnia cõſilio prius, quam armis ſapientem experiri oportere: tantus nihilo minus fuit omnium Nominum cum ſuo rege ad arma cõſenſus, ut in eam frequenter ſit itum ſententiam, omnibus Verbis continuo bellum indici debere. Miſſo igitur tubicine ad regem Amo, inimicitias, bellumq; manifeſtum confidentisſimis animis denuntiarunt. Nec ſaniora quidem apud Verborũ regem agitabantur conſilia: ad quem conuenientes ſuæ partis ordines omnes, longa, diſceptatione agebant de retinenda in Grammaticæ regno Verborum dignitate, deq; deprimenda Nominum arrogantia. cum interim ſuperueniens Poetæ regis nuntius, de bello quæ ſibi mandata fuerant, diligenter expoſuit. Enimuero leto ſe animo accipere illis reſpondentibus, ad belli cogitationes uerſi ſunt omnium animi. Miſit itaq; Verborum rex tubicines & nuntios ſuos ad omnes nationes & gentes, quæ ſuo parebant imperio: iusſitq; ut cuncti armis idonei ad con-

ſtitutam diem adeßent. Omnium autem primus adfuit aduerbiorum dux. Quando, cum centurionibus ſex,uidelicet, ubi, quo,unde,qua quorſum,& quouſque: quos ſequebantur manipulares ſui:& ſub primo quidem hi erant, Hic,illic, iſtic, intus,foris,ibi,ibidem,ſicubi, necubi, alibi,alias,alibi, uſquam, & nuſquam. Sub ſecundo,huc,illuc,iſtuc,intro,foras,alio,nequo,aliquo,ſiquo,illo,eo,& eodem. Sub tertio,hac,illac,iſtac, alia,aliqua,nequa,illa,ea,& eadem. Sub quarto, horſum,illorſum,iſtorſum,introrſum,extrorſum,dextrorſum,ſiniſtrorſum,aliorſum,aliquorſum,ſurſum,& deorſum. Quintum ſequebantur,hactenus,hucuſq;,eouſq;,uſquemodo,& uſquenūc. Sextus centurio ſignum ferebat manu propria, ibatq; medius omnium:ita ut duo præcederent ordines, ipſe ſequeretur,tres clauderent agmen. Multa alia Aduerbia ante currebāt,quædam procedentium acierum tegebāt latera illa itinera explorabant,hæc curabant ne ordines interrumperentur, quorum nomina hæc ſunt,peregre,pone,ſuper,ſupra, intra,extra, citra,& ultra cum alijs pluribus. Venere poſt hæc alia aduerbia qualitatis,quantitatis, & numeri:cum quibus erant Aduerbia iurandi,ut ædepol,enimuero,ecaſtor, mehercule, mediusfidius,& profecto. Aduerbia uocandi,ut heus,& o. Reſpōdendi,ut hem. Ridendi,ut ha ha he. Negandi,ut minime,& nequaq̄. qui quidē Nequaq̄ , licet ſtrennuus in bello eſſet,& diu exercitatus, omnium nihilominus mendaciſſimus habebatur, & fallax:nec niſi coactus uerū fateri didicerat,hunc & Græci olophandin appellāt. De hoc Nequaq̄ truci et mala beſtia plura eſſent dicēda:quæ quoniā liberæ nō ſunt uoces,uolētes omittimus:id potiſſime perſuaſum habētes ſuperfluū eſſe lupū ouibus cauendū nuntiare. Omnia hæc Aduerbia triplici muniebātur armatura . ferebantq; pro ſcuto ſpeciē pro lorica ſignificationē,pro enſe figurā. Multæ aliæ natiōes Verborū uene-

re in auxiliũ regis ſui, uidelicet natio indicatiua, frequentatiua, meditatiua, deſideratiua, inuitatiua, diminutiua, & denominatiua: cum copiis non ſpernendis. Affuere etiam fortiſſimi ſatrapæ Anomali, qui late dominabantur in confinibus Grammaticæ. bellicoſiſſimi quidem, ſed qui nullo poſſent ordine contineri: eorum nomina hæc ſunt, ſum, uolo, fero, & edo, quibus conceſſum a rege fuit ut in quocunq; caſtrorum uellent loco, ſua figerent tabernacula, modo inter milites nullum tumultũ concirent. Poſt hos aduenit natio. Verborum defectiua, diſtincta, & pulcherrime per turmas ordinata, uidelicet memini, noui, cœpi, & odi: item uale, ſalue, aio, inquit, inquã, ſaxo, cedo: omnes armati, & ad pugnam animis præſentiſſimis, quæ quidem ſequebantur omnia Verba actiua ueſtita in o, & paſſiua in or, neutra quoq; cum deponentibus, communibus, et imperſonalibus cuncta diuerſorum idiomatum, & uariarum linguarum, erantque armata generibus, temporibus, modis, ſpeciebus, figuris perſonis, & numeris. Congregato huiuſmodi exercitu, rex Amo omnes copias deduxit in latiſſimos campos Cõiunctionum in loco quodam qui dicitur Copula: ibiq; caſtrametatus eſt iuxta flumen diſiunctiuarũ, nomine Siue: diuiſitq; omnia ſua Verba in quatuor coniugationes, unicuiq; tribuens in caſtris proprium locum: exceptis quibuſdam familiaribus Verbis, quibus iniunctum fuit ut ſarcinas ferrent Infinitiuorum, quorum hæc nomina ſunt, incipit, deſinit, debet, uult, poteſt, iubet, audet, nititur, tentat, & dignatur. Vltima omnium uenere in caſtra quædã Verba maximæ autoritatis, ut pluit, ningit, fulgurat, tonat, fulminat, & adueſperaſcit, trahentia põſt ſe cohortes fortiſſimorum militum ſuorum. Sed & Gerũdia cum Supinis, relictis Nominibus transfugere ad Verba. Audiens uero Nominum rex Poeta quanta contra ſe præpa- raſſent aduerſarii ſui, ueritus ne ſubita ui aliqua ingruente

*opprimeretur ſi imperatus tantarum uirium impetum expe-
ctaret,omnibus imperio ſuo ſubditis indixit, ut quamprimum
fieri poſſet,armati,& inſtructi pro uiribus adeſſent, in cuius
auxilium,ut pote propinquiores,primi affuere* Pro nominum
duces,ego,tu,ſui,conſanguinei ipſius regis,& ex eodem Arſa-
*cidarũ ſanguine procreati,cum quibus erant meus,tuus,ſuus,
noſter,et ueſter,noſtras,et ueſtras,ille,ipſe,iſte,hic,et is.*Om-
nia autẽ Nomina *diuiſa erãt in plures cuneos,& ſub uariis ſi-
gnis cẽturiata,aliqua quippe erãt primitiua,alia deriuatiua,
aliqua relatiua,quędã poſſeßiua,quędã gẽtilia.*Venere *inſup
tres articuli pugnaciſsimi, & lõgo belli uſu exercitati,primus
erat* Hic,*hæc,hoc:ſecũdus* Hic et *hæc: tertius* Hic et *hec et hoc
qui ſpeciebus,generibus,numeris,figuris,perſonis,& caſibus
armabantur.*Poſt *hos duces magni* Relatiuorum*, quis, quæ,
quod uel quid,eiſdem ſe caſtris iunxere, & erant ii referenda-
rij generales regis* Nominum *in omni ſuo regno, cum quibus
fuere omnia relatiua & ſubſtantiua diſtincta in duas turmas,
uidelicet, idẽtitatis et diuerſitatis.*In *prima numerabãtur* Is,
ſuus,ipſe,ſui, ille & idem. In *ſecunda Cæter,alius, reliquus,
& alter.* Princeps Relatiuorum *accidentium erat* Qualis:*cũ
quo militabant.*Quantus,*quot,quotuplex,quatenus,quotiſa-
riam,cuias,& cuigena.*Venit *etiam regina* Præpoſitionũ Ad:
cum qua erant Ab *& in,coniunctæ* Nominibus *caſualibus: du-
cebantq; ſecum tres phalanges ſtrennuorum militum.*In *pri-
ma erant* A.*ab,abs, cum,coram,clã,de,e,ex,pro, præ,palam,
ſine,abſq;,tenus:ſeruiẽtes ablatiuo caſui.*In *ſecũda fuere* Apud
*ante,aduerſus,cis,citer,citra,circũ,circa,contra,erga, extra,
inter,intra,infra,iuxta,ob,pone,per, propter, prope,ſecũdũ.
poſt,trans,ultra,præter,ſupra,circiter,uſq;,ſecus,penes:om-
nes ſeruiẽtes accuſatiuo caſui.*In,*ſub,ſuper,et ſubter,ſeruiebãt
utriq; caſui:ablatiuo ſcilicet & accuſatiuo.* Sub *ſignis tertiæ*

phalãgis militabãt Di,dis, re,ſe,an,& cõ: eratq́; eorum pro-priũ officiũ cõpoſitionẽ facere in uſum mili.ũ, nanq; tunc dies quadrageſimæ erant Atqui Nomina omnia in ſuas acies diſtributa,pulcherrimo ordine procedebãt, uidelicet ſubſtãtiua,& ſimiliter adiectiua,propria, appellatiua, & partitiua: poſt quæ,cõparatiua,ſuperlatiua,poſſeſſiua patronymica,gẽtilia, numeralia,& multiplicia. Singula eorũ diſtinguebantur per declinationes quinq; ſcilicet primam ſecundã,tertiã quartam, & quintã,quorũ arma erant ſpecies,genera, numeri,figuræ, et caſus. His igitur omnibus in unũ coactis,rex Nominũ Poeta,cõpias et ipſe ſuas deduxit in eandẽ planiciẽ Coniunctionũ, poſuitq; caſtra ab altera parte prædicti fluminis Siue,ita ut tãtos exercitus unicus diuideret alueus fluminis: unde et fiebat ut inter aquatores nõ leuia interdũ prælia inirentur: nunquã tamen totis copijs in aciem deſcenſum eſt: prohibentibus id utriuſq; partis regibus, quoniam necdum ad pugnã neceſſaria omnia parata intelligebant. Satagebatq́; uterq́; eorum Participium in ſuas partes traducere. Erat uero Participium maxime in tota Grammaticæ prouincia autoritatis, & poſt reges,potentia & dignitate plane primus: qui in quãcunq; partem cum ſuis uiribus inclinaſſet, haud dubie uictoriam ſecum trahere poſſe uidebatur. Quapropter non tam Verbum quã Nomen, ut hunc ſibi adiungeret nihil intentatum prætermittebat. Præoccupans aũt Nominum rex Poeta,huiuſmodi ad illum literas dedit. Non arbitror te præterire frater mi, quanta inſolentia,quo animi tumore contra me: Nominumq́; dignitatem inſurrexerit Verborum rex amo, qua ue temeritate cõficiẽdæ orationis primas partes ſibi uſurpare præſumat: propter quod, licet inuiti, arma ſumere & copias cogere coacti ſumus,ut illius contuſa ſuperbia,autoritatem noſtram illibatã cõſeruare ualeamus. Enimuero cum optime ſcias,quantum

ã co
ꝛ coᵞoꝛ

Nominũ gentibus debeas, quæ ue ab illis acceperis beneficia: feceris pietate & fide tua dignum opus, ſi cõem exiſtimationem, cõem rem, cões ſpes, nobiſcum protecturus cum tuis te legionibus nobis adiunxeris. nam euerſo Nominũ ſtatu, atq; imperio, nihil eſt quod in Grammaticæ ſolo tutũ tibi poſſis arbitrari. Vale, & quantum potes tuũ feſtina aduentũ. Nõ me latet amice chariſsime, ſolicitari te maxima inſtantia ab aduerſarijs noſtris, ut contra nos bellum geſturus ſecum in campũ deſcendas. Et licet pro tua prudentia nihil temere te geſturũ confidamus, neceſſarium tamẽ duximus admouere, & hortari te, ut mente reputes quæ a nobis habeas cõmoda, quanta ex uerbis dignitati tuæ fiat adiectio: & licet minutula quædã a Nominibus accepiſſe uidearis, potiora, ãplioraq; nihilominus ſunt quæ tibi a nobis tribuuntur. Iuſtius itaq; feceris ſi nõ nos modo, Verborumq; imperium, ſed teipſum tuaſq; res defenſurus, ad felicia hæc noſtra perueneris caſtra. nã nec ueriſimile eſt, ſi ſuccubuerimus, ipſos hoſtes a rebus tuis temperaturos, quin uictricia (quod Deus auertat) in te conuertãt arma, quo ſoli tandem in omni Grãmaticæ ſolo pro effrenata animi libidine graſſari queant Vale. Ambarum igitur partiũ lectis literis, aliã Participio mẽtẽ eſſe, alia moliri, diuerſa aio uoluere. Cogitabat ſiquidẽ neutri ſe parti adhærere poſſe ſine manifeſtaria rerum ſuarũ pernicie: ecõtrario ſi ſe mediũ gerat, uel amborũ ſeruare gratiã: uel qđ magis deſtinabat aio, utriuſq; res bellorũ cladib' ita affligi poſſe pẽſabat, ut illis depreſsis, rerũ ipſe ĩ Grãmatice regno ſine cõtrouerſia potiretur. Verũ diſsimulãdas hmõi cogitatiões cẽſebat, ducẽdoſq; utroſq; uerbis, quoad certaminũ euentũ poſſet inſpicere. Reſcripſit itaq; utriſq; in hæc uerba: Accepi literas ueſtras illuſtriſs. reges, eaſq; nõ ſine ingenti animi dolore perlegi, audiens inter adeo coniunctos principes tanta exorta disſidia, ut contineri mi-

nime poſſitis, quin propria regna Grammaticæ tam celebre imperium cruentiſſimo bello ſitis euerſuri. Quæ uos occupāt intemperiæ? Vnde ea mētium alienatio. Per immortalem deū, quo progrediamini, paululum cogitate: quantum lætabuntur aduerſarij communes noſtri, ignorantiæ petulci habitatores, & barbariſmorum incompoſiti populi, intuentes hoſtium ſuorum uires mutuis diſſidiis lacerari? Adiuro uos per Deos omnes, ſuperos, medios, infimos, regredimini: abſtinete funeſtis & abominabilibus armis: ne damnabili dominandi libidine, pulcherrimam totius orbis prouinciam tumultibus & cladibus inuoluatis. Atqui ſi ita in fatis fuerit, ſi omnino obfirmati eſtis bello decernere, meum minime arbitror ueſtrum alicui adhærere: partem quippe iuriſditionis meæ capio a Verbo, partem a Nomine, & cum utriq; multum debeam, utrunq; cōmeatu, aliiſq; ad uictum rebus neceſſariis, quantum potero adiuuabo. Abſtinebo autem armis, tantumq; ad id meas cogā copias, ne in hac bellorum licentia fines imperii mei aliquatenus poſſint deuaſtari. Dent uobis Dii ut ſaniora cogitetis. Valete. Licet uero hæc reſcripſerit, alebat nihilominus uerſipellis & uafer, quibus poterat modis, regum diſcordias: concitabatq; occultis litteris, utriuſq; gentis animos ad pugnam, ſperans ex eorum internitione facilem ſibi aditum ad totius Grāmaticæ imperium poſſe parari. Dieq; quo milites ſui ad ſe cōuenirent indicto, non contemnēdas & ipſe copias aggregauit. Affuere in primis deſinentia in ans, & in ens, in tus, ſus, xus, rus, & in dus: cum nominibus uerbalibus in tor, & in trix: & ſimilia, quæ incolebant loca uicina Verbo & Nomini, Participio ſe adiunxere. Sed & Gerundia, Supinaq;, ut ciuilia bella declinarent, a Verbo iterum ad Participium transfugere. Rebus hoc pacto diſpoſitis, quo ſe utriq; parti Participium gratum exhiberet, deſtinauit utriſq; munera pretij non exigui, &

Verbo quidem primum miſit infraſcripta, Neutra *paßiua, uidelicet* Gaudeo,*ſoleo,audeo,fio,prandeo, cœno, iuro, titubo, placeo,nubo,careo,mœreo,poto,iaceo & quieſco.* Nominum *autem regi dedit deſinentia in tor & in trix. Miſit etiam pro pedamento exercitus* Verbo,*plauſtra centum præteritorum, præſentium, & futurorum: camelos mille figuratum ſimplicium,compoſitarũ,& decompoſitarum.*Nomini *uero per flumen* Siue *tranſmiſit decem onerarias naues caſuum nominatiuorum & genitiuorum, & totidem numerorum ſingularium & pluralium,multaq; alia genera maſculina,fœminina, neutra,communia,& omnis. Quibus peractis continebat ſe cum legionibus ſuis intra proprios confines,expectãs quoniam inclinaret fortuna.*At *bellicoſi reges cum abũde prælio opportuna præparaſſent,nihil cogitabant aliud,quam ut ex præclara aliqua re,belli initia ordirentur.*Accidit *autem ut ex nobilioribus ciuitatibus totius* Grammatice,*due furto interciperẽtur a* Verborum *rege,uidelicet, a,& u, nam in eam diem urbes omnes utriq; regi ſuum ſtipendium exoluebant, nullam uni magis,quam alteri de cætero ſeruitutem ſeruientes.*Quod *audiens rex* Poeta,*eiſdem artibus tres alias occupauit, ſcilicet e,i,o.*Reliquæ *ciuitates cautius inuigilantes,ſua ſeruata libertate utriſq; ſe communes exhibuere: quarum nomina hæc ſunt,b,c,d,f,g,l,m,n,p,q,r,ſ,t,x,ex quibus omnes* Grammaticæ *neruos conſtare certißimũ erat.* De *diphthongis binæ cuilibet regum datæ ſunt,ut tubicinum officium exercerẽt,edoctæ quippe erant ære ciere uiros,* Martemq; *accendere cantu.æ & œ,*Nomini *regum ceſſere:au uero,& eu,* Verba *accepere.* Sequebantur *inſuper utraq; caſtra mulierculæ quædam mimæ, uarijs affectibus militum mentes afficientes:earum quædam flebant,& lamẽtabantur* Grammaticæ *communem ſtragem,quam imminere proſpiciebant, ut oh,ah, he, & heu &*

bei: aliæ indignabantur, & carpebant regum diſcordias: ut Vah, ueh, & atat. pleræq; admirabantur inter tam coniūctas perſonas ea orta eſſe disſidia, ut papæ, uahu, & uha, ſed & quædam ob mentis leuitatem gaudebant, hortabanturq; milites in prælium, ut eia, & euax Cæterum omnibus ad pugnam inſtructis uiſum eſt Verborum regi, quo ciuiles clades, quantum in ſe eſſet, declinare uideretur, honeſtaretq; aliqualiter factum ſuum, huiuſmodi regi Nominum epiſtolam ſcribere, Intelligere potuiſti ò Poeta, quam paratus, quam robuſtus tecū certaturus in campum deſciderim, nec ignarus es, eas tibi minime adeſſe uires, ut legionum mearum impetum posſis expectare, tuis prudenter conſules rebus, ſi mihi cedens, tuis te cōtinueris terminis, quod ſi inſanire pergas, ſtatq; ſentētia ferro decernendi, die tertia omnibus copijs tecum congreſſurus in campum deſcendam. Has literas cum Nominum regi dediſſent tubicines au, & eu, ex conſiliariorum ſuorum ſententia ita & ipſe reſpondit, Semper tibi uerborum eſt plus ſatis ò Amo: nec nouum eſt quod uerboſitate tua audientium aures obtundas: Iactas tu pugnaces exercitus, & tuos terribiles apparatus. quaſi nos pumiliones, locuſtas ue nobiſcum habeamus. Poſſesſio tibi parua fuit ſemper in oratione, & nūc eo te impulit tua inſania ut effugere nequeas, quin male parta, peius geſta, peſſime retenta, hac tua regni portione iuſtis armis eijciare. Et ut ſcias quanti non tam ipſe, quam milites mei, minacias tuas faciamus, tubicines noſtri æ & œ, nomine noſtro, nudatos tibi lumbos porrigent. Si ut uelum ualeas, extremum ualeas! Huiuſmodi literis, irritatis utrinq; animis, futuri prælij diē ardētisſime cuncti expectabant. Creuerat interea ex temporū occaſione (ut fit) facinoroſorum licentia, exierantq; latrunculorū non ſpernandæ manus, quæ oēm Grāmaticæ prouinciam et præſertim loca ſaltibus, mōtibusq; præpedita, quæ trāſeūtib⁹ anguſtum

anguſtum iter præbere conſueuere , obſidentes, uiatores, aut alias in utraq; caſtra commeatum ferentes prædabãtur. Qua propter creſcente in dies apud utrunq; exercitum annonæ ino pia, intellecta eius rei cauſa de utriuſq; regis conſenſu miſſi ſunt duces quidam peritiſſimi cum militum opportuna manu, ut uel captos latrones interficerent, uel fugatos omni Grãma tica procul expellerent. Qui ad ea peruenientes loca, circũda to militibus quodã ſaltu, in quo pleroſq; ex illis latere cõpete rant, oẽs ad unũ intercepere. Inter quos fuit quidã noĩe Catho licon: qui grandẽ aſinũ uocabulis Græcis Latiniſq; cõfuſe per miſtis, onuſtum in Italiã agebat, & cæteros quidem cũ laqueo necaſſent, hunc ſolũ uinctum cũ ſuo aſino in caſtra duxere. Qui tormentis coactus (quod alioquin manifeſtiſſimũ erat) cõfeſſus eſt ſe oĩa uocabula in Grãmaticæ terris furto ſurripuiſſe. Cũ uero eum quis Græce interrogaſſet, ingenueq; rñdiſſet ſe Græ ce nihil ſcire, Latine aũt parũ. Quid ergo, inquiũt iudices, Gre ca tecum defers uocabula, quæ non intelligis? Ad quæ ille, Tã ta apud noſtrũ pleroſq;, inquit, literarũ eſt imperitia, ut etiã ſi barbare loquar, facile illis perſuadeã me Atticæ eloquẽtiæ an gulos omneis penetraſſe. Riſere uehementius adſtantes cũcti, hoc audito. Et me hercule, inquiunt, quãdo tam faciles audito res habes quæ tua ſunt, aut quorũ alias domini nõ cõparebũt, tecũ ad illos ferẽs, ibis incolumis: quæ uero certũ dñm habere dignoſcentur, ea ut reſtituas, dignũ iudicamus. Facta igitur di ligenti inquiſitione, oĩa fermè Græca Iſidoro, cuius fuerant, re ſtituere: cætera Latinis, & ipſis marcidis, mucidiſq; permiſta, ut aſportaret permittentes, illũ demiſere cũ ſuo aſino iam le- uius incedente: iubentes nihilominus, ne unq̃, niſi inter imperi- tos, & in doctos auditores ſuos, Grammaticũ ſe profiteri au- deret. Priſcianus uir præſtantiſſimus, & in oĩ grãmatica ap- prime honoratus, cũ ægre ferens ciuilibus bellis Grammaticã

deuaſtari,ſeditiones ſedaturus in caſtra feſtinus pergeret,a latronibus Catholicon ſocijs captus,ſpoliatus, ac fuſtibus pulſatus,tale in capite uulnus accepit, ut nullo unq̃ medicorum ſtudio curari potuerit. Ex *his non multo poſt captus fuit quidē qui ſe falſo hiſtoriographum publice profitebatur, congeſſeratq́; innumeras in uolumē quoddam ineptias, atq; eum librū* Supplementum *chronicarum appellauerat: quē quæſtionibus omnia furta fateri coactum,in ignorantiæ terras perpetuo relegarunt.* Dum *hæc agerentur,egresſi ex* Verborum *caſtris quidam ex genere* Anomalorum, *uidelicet ſum,uolo, & fero, cum cohortibus tribus intercepere unum ex centurionibus nominum,dictum* Cæter,*qui erat de genere* Relatiuorum,*latebatq́; cum manipularibus ſuis in quadam ſpelunca poſita in biuio* Coniunctionum Quod & Cum,*ipſumq́; cū omnibus ſuis ſingularibus trucidauerunt, plurales uero in tali diſcrimine conſtituti,cum ſe magiſtri* Paſquili *ſtatuæ,quæ* Romæ *in* Parione *eſt, ſub ædibus* Reuerendisſimi Cardinalis Neapolitani, *grandem cereum oblaturos uoto obligaßent, eius ſancti meritis, præter omnium opinionem, incolumes euaſere.* Quod *cum* Poetæ *regi nuntiatum fuißet, iratus eſt uehementer, tulitq́; ægerrime quod talem centurionem amiſiſſet: erat quippe is* Cæter *fortitudine inſignis, audacia celebris, & militaris rei peritia nulli ſecundus.* Obſeruabat *igitur omni ſtudio, ſi quo pacto acceptum damnum, bene cumulatum hoſtibus poſſet retribuere.* Verum Fortuna, *quæ cum omnibus in rebus plurimum poteſt, tum in bello plane dominatur, optimam læſis uindictæ præbuit occaſionem, nam eiſdem diebus ab leuis armaturæ militibus* Nominum, *captiui in caſtra adducti ſunt complures ex* Verborum *legionarijs,non leuis inter ſuos autoritatis: inter quos ex* Imperatiuorū *genere fuere,dice,face,& duce: quibus,igno*

miniæ cauſa,poſteriores ueſtium partes præcidi iusſit, ita ut nudas nates conſpicuas gererent,& dimitti: uocatiq; impoſterum ſunt fac, dic, & duc. Fuo & Specio, ſimiliter captos necari iusſit. Quorum bona a Verborum rege accepere eorũ per rectam lineam legitimi deſcendentes: inter quos Futurus & Fui,cum alijs a Fuo oriundis,& a Specio,Cõſpicio,& Deſpicio:ceterisq; a Specio deſcendentibus. Derecta eſt interim in caſtris Verborum grandis proditio: coniurauerant enim quidam monſtroſi milites de genere Præteritorum perfectorum,quibus bina erant capita,moliebanturq; inſidias Verborum regi,qui quidem capti,conuictiq;,damnati ſunt perduellionis, ſiue crimine læſe maieſtatis. Nomina eorum hæc fuere: Momordi,cecidi,cucurri,pepedi,ſpopondi,cecini, peperi, tutudi,pepuli,& fefelli: Quibus,iuſſu regis,in præſenti tempore unum caput abſciſſum fuit,& ſic,ubi prius in præſenti dicebant, Momordeo,cecedo,cucurro, poſtmodũ dixere Mordeo, curro,cedo,cum cæteris. Adueniente demum pugnæ die,uterq; rex in eminentiore caſtrorum loco pallium rubrum poni iuſſit:quo milites admoniti futuri prælij,curarent corpora, præpararentq; arma,ac reliqua in id operis neceßaria. Poſtridie ſummo mane pranſis militibus,ex omni parte copiæ ſummo ſilentio in campum deductæ ſunt, explicatisq; ordinibus, ſuos quisq;,ut uiriliter agerent, efficaci oratione excitabat, minime uero opus erat accenſos per ſe ſatis,uerbis accẽdere: quin ipſi ultro criſpantes tela furibundi, ineundi prælij ſignum expectabant. Poſtquam id actum eſt,tubæ utrinq; canunt, contra conſonant terra,clamorem utrinq; efferunt,imperator utrinque, hinc & illinc Ioui uota ſuſcipere, hortari exercitum, pro ſe quiſque id quod quiſque poteſt & ualet, edit, ferro ferit,tela frangunt, boat cœlum fremitu uirum, & ſpiritu atque anhelitu nebula conſtat: cadunt uulnerum ui &

xitium utrinq; multi. Videre erat inter cæteros Defectiua uer*ba pugnantia cum* Nominibus *heteroclitis: & hæc quidã, ſuis nominatiuis caſibus, & generibus, genitiuis, numeriſq; plurali bus acriter feriebant aduerſarios: illi uero reſiſtebant audacter, repercutiebantq; noĩa heteroclita indicatiuis, præteritis perfectis & pluſq̃ perfectis, cõſtringebantq; eorũ numeros, & gñа coniugationibus ſuis: ex quibus quidem* Verbis *unum, cui nomẽ* Aio, *ſingulari utens audacia, duorũ noĩum heteroclitorum impetũ diu ſuſtinuit: uerum cũ reſiſtere non potuiſſet, ſpo liatũ fuit multis perſonis, modis, tpibus, et numeris: remãſereq; illi ex oĩbus ſuis hi tantũ*, Aio, ais, ait, aiunt, aiebam, aiebas, aie bat, aiebant: *cætera, hoſtiũ gladijs cecidere.* Pugnãtibus *hoc pacto utrinq; legionibus, atq; adeo ſimul permiſtis, ut uix hoſtes a ſocijs poſſent diſcernere, tãtus fuit omniũ in prælium ar dor, tanta animorũ inteſio, ut cum eadẽ hora terribilis terræ motus in ea ꝓuincia uicinas urbes proſtrauerit, amnes curſu rapidiſsimo auerterit, mare fluminibus inuexerit, mõtes lapſu ingẽti proruerit, nullus tñ eorũ id ſenſerit.* Eant *nũc qui fa bulas cenſent hoc idẽ accidiſſe eo prælio, quo* Romanos *apud* Thraſimenũ Pœni *maxima ac memorabili illa affecerũt clade: nec fidẽ facit* Cortona *ciuitas, quæ teſte* Luciano *in libro de ueris narrationibus, cum prius in* Thraſimeni *littore ſita eſſet, eadẽ hora, uentorũ turbine, in eum collẽ, in quo nunc eſt, translata dignoſcitur, hoc nouiſſimo exẽplo maximũ ſibi certe ueritatis teſtimoniũ acceſsiſſe* Liuius *gloriari poterit.* Ob*ſcurabatur ſol multitudine ſagittatum numerorũ ſingulariũ & pluraliũ obtudebantur aures oĩum clamoribus figurarum cõpoſitarum & decõpoſitarũ: uulnerabãtur innumeri iaculis ſpecierũ primitiuæ & deriuatiuæ.* Sed *& tubicines uirtuſq; partis, clangore, rauco, & terribili taratantara concinentes, millitũ animos in pugnã mirum in modũ incendebãt.* Mulier

culæq; mimæ, Interiectiones.ſ.pugnantiũ ordines circũ euntes,cuncta ſuis affectibus perturbabant.ex quibus quidẽ frequentius audiebantur gemẽtes ille Heu & Hei, & Ob,ab,eh. Atrox magis,quã longũ fuit prælium illud:& niſi cohorta illa ſubito tẽpeſtate,ingens ſuperueniens aquarũ uis pugnã diremiſſet,actum ſane fuiſſet de uniuerſis Grãmaticæ uiribus:tãta nanq; erat oĩum in mutuã perniciẽ rabies, ut ingruẽte imbre,ac ſigno receptui dato,uix tamen atq; ægre in caſtra reduci potuerint. Incertitudo & ambiguitas fuit maxima,penes quos eius pugnæ uictoria ſtaret,ingens utrinq; clades,ingens cædes,ingens non tam militum,quam ordinẽ apud utroſq; ducentium,iactura,nec facile fuerit amborum detrimenta ſermone cõplecti. Contendam tamẽ,ut poſterorũ conſulã utilitati,ſi non omniũ,multorũ ſaltẽ,diminutiones,augmentumue quantũ potero,liquide demonſtrare. Ex parte in primis uerborũ,defectiuum uerbũ Infit,amiſit oẽs ab eo deſcendẽtes,oĩa ſua gña, tpa,modos,pſonas,& numeros: qui fuerãt coniugationis quartæ,figuræ cõpoſitæ,ſingularisq; numeri.ipſe Dei munere,qũ in periculo poſitus,nullius ſe unq̃ religionis probatæ, improbate ue habitũ ſumpturũ uouerat,ſaluus euaſit. Sed et tãto ex eo caſu terrore pculſus fuit,ut poſtmodũ in Grãmaticæ regno prodire in publicũ raro ſit uiſus. Forẽ ſpoliatus fuit reb⁹ ſuis oĩbus: præter fores,foret,& fore,quæ ſunt de modis optatiuis coniugationis tertiæ. Vale,aue,ſalue,de genere imperatiuorũ grandem cõmilitonum ſuorum ſtragẽ accepere,paucis cõſeruatis,qui & nunc cõparẽt,alios amiſere. Faxo,ex eadem gẽte Actiuorum,oĩbus ſuis manipularibus circa ſe trucidatis: cum tribus tantũ,uidelicet faxis,faxit,& faxint,fuga elapſus euaſit. Inquio,de gñe neutrorũ,cõſeruauit inquis,inquit,inquiũt, inquã,inquies,inquiet,inquient,et inque: reliquos bellũ abſumpſit. Inquiens cum in caſtris Participiorũ eſſet, periculo non

interfuit. Apage & apagete,cunctis commilitonibus amiſſis, ſoli euaſere. Dici uniuerſos ſocios amiſit præter dieſcit. Facio orbatus fuit filio ſuo Facior: qui tamē prius quam expiraret, militari teſtamento hæredē ſibi inſtituit Fio. Poſco,diſco,metuo,timeo,renuo,reſpuo,cōpeſco,urgeo, & linquo oēs de gñe Actiuorum,perdidere ſua ſupina. Occaſum,beneficio noctis ſaluus euaſit. Nonnulla uerba quæ amiſerant præterita ſua tertiæ coniugationis, in ſupplementum accepere poſtmodum præterita quartæ coniugationis: in quorum numero fuere,cupio,peto,quæro,arceſco,faceſſo & fero. Quædam amiſſis futuris in am,ne futurorū oīno abiſcerent ſpem, emerunt in nundinis Recanatenſibus alia futura in bo,ut eo, queo & ueneo. Sed & Horatius autoritate ſua,lenio dedit lenibo. Omnia uerba pertinentia ad ſplendore ſpoliata ſunt ſupinis: inter quæ luceo,fulgeo,ſplendeo,polleo,& ſimilia. Fulcio ſingulari uſus audacia excusſit periculum,& retinuit ſuum Fultum. Enimuero poſtea quā ea enumerauimus quibus aduerſi aliquid euenit, minime æquum fuerit ſuis carere laudibus illa uerba quæ ſtrennue acta,uel ex hoſtibus ſpoliјs, uel ſui regis munere ad priorem ſtatum aliquid addidere. Inter cætera aūt eminent cœnatus,iuratus,caſus,mœſtus,nuptus,& pranſus, quibus ultra propria præterita uocis actiuæ, acceſſere etiam præterita uocis paſſiuæ. Redimo,duobus auctus eſt ſenſibus,poſſedit ea hora tria ſignificata,uidelicet liberare,conducere,& ornare. Solor obtinuit duo ſignificata, uidelicet ſolus eſſe & hortari. Explicat,ultra proprium ſenſum qui eſt explicare atq; emittere,obtinuit ut explanaret,oſtenderet,extraheret, exhibere,& proferret, Valeo, ultra propriū ſenſum qui eſt ſanus eſſe: obtinuit etiam ut cum diceret uale,ſalutaret. Præſto ſimiliter,duos habuit ſenſus.ſ.mutuari,& excellere. Haurio maiori ditatus eſt præda,quatuor uidelicet ſignificatis,trahere,

uulnerare,audire,& uidere. Quæ tamen omnia,cum opus fue rit,in unum ſenſus rediguntur. Paſco geminos recipit intelle ctus,rodere & alere. Vaco licet minime ſe prælio immiſcue rit:nam(ut apud Plautum ait Soſia)cum pugnabant maxime fugiebat maxime:fortuna tamen, quæ & deſides plerunq; co ronat,illius ignauiam pinguioribus exuuijs uoluit decorare, fugientes.n.ex pugna hoſtium quoſdam conſpicatus,taberna culo exiliens intercepit,quibus poſtea grandi ſe pecunia redi mentibus,ſex ſibi ultra priorem,ſenſus acquiſiuit,ſcilicet, in tendere,ceſſare,ſeruire,ſuperfluum eſſe,licere,carere,& ua cuum eſſe. Studeo tria lucratus eſt ſignificata,uidelicet ſolici tare,operam dare,& conari. Pango tres ſenſus accepit:uideli cet cano,& tunc in præterito facit panxi:paciſcor,& tunc fa cit pepigi,& coniungo ſiue figo,& tunc facit pegi. Sapio ex ea die binos tenet ſenſus,uidelicet ſaporem reddere, & ſcire. Fero ex anomalis,quatuor auctus eſt ſenſibus,ſuſtinere,cupe re,dicere & portare Cōfiteor triplicē accepit intellectū, lau dare,purgare,& manifeſtare. Supero dati ſunt ſex, ob illius eximiā inter uerba oīa potentiam,uidelicet, reſtare, uincere, imminere,trāſire,euadere,ſupuiuere & ſupgredi. Fuere quæ dā uerba quæ amiſsis proprijs præteritis acceperūt poſtea a rege ſuo præterita quorundā paſsiuorū,q̄ in bello ceciderāt, ut audeo fido,gaudeo,ſoleo,& fio. Verba illa peſtifera,pnitio ſa,mēdacia, aliud ſemp in lingua aliud in corde clauſum habē tia,licet nullum lucrum eo fecerint bello,tamen prætereunda, nō ſunt,nec eorum reticenda arbitror nomina, ut ab illis ca ueant cūcti quoniā paſsionē continue afferunt ſub ſpecie actio nis,quorum hæc nomina,exulo,ueneo nubo,& uapulo: ultimi huius inſidias aduleſcentiorū quiſq; quo fuerit cautior, eo eni xius declinabit,ſi ſuis recte cōſultū uolet natibus Verborū ali qua ex parte expoſita fortuna Noīum res orationē ad ſe tra

here uidentur, in quorum caſtris diligenti oíum ſenſu habito, cognitum eſt inter ea non minus quã inter uerba uariaſſe fortunã. Et ut a poſitiuis incipiamus, fuere ex illis nonnulla, quæ in cõparatiuis ſuis ſauciata, medicorũ diligentia aliquale fomentum accepere: uidelicet melior, maior, minor, dexterior, ſiniſterior, plus munificentior, & magnificẽtior: oía irregularia, & a ſecũda declinatione deſcendẽtia. Sed & pius, arduus, egregius, tenuis, & ſimilia, perdidere propria comparatiua. Noía deſinentia in er, in ſuperlatiuo amiſerũt imus, & pro eo poſtea acceperunt rimus ut tener & ſaluber. Quibuſdam pro ſimus, qui ſpoliati fuerant, conceſſum eſt limus, ut humilis, facilis, gracilis, agilis, & ſimilia: ueteri datum eſt ueterrimus. Fuere inter arborum noía quædã quæ dum in prælio uiriliter agerent, de repente miraculoſe mutarunt ſexũ, & ex fœmininis facta ſunt maſculina, mirantibus oĩbus qui aderãt, interrogantibusq; unde illis accidiſſet illa tam mira metamorphóſis: ex quibus ſunt, rubus, & oleaſter: quæ Liuius, ut monſtroſa, et mali ominis in altum uehi, & mergi, aut grãmaticæ ſolo oíno exturbari ſuadebat. Verum rex Poeta nimiã illius in procurandis prodigijs ſuperſtitionẽ irridẽs prohibuit: inquiens nõ eſſe mali ominis, fœminas in uiros mutati, qñ ex malo ſexu in optimum fiat iſta conuerſio. Quibuſdã heteroclitis noíbus, dũ cum defectiuis uerbis pugnarent, abſciſi ſunt oẽs teſticuli, cũ pene in plurali numero (Quem caſum Deus a nobis auertat) deincepsq; in eo numero, neq; fœminina fuere, neq; maſculina, ſed neutra, quod certe miſeratione dignum fuit: noía eorũ hæc ſunt, ſibilus, auernus, infernus, ſuparus, baltheus, & dindymus. Alia feliciorem ſucceſſum ſunt ſortita, nam cũ in codẽ plurali numero eſſent neutra, cũ maximo ipſorũmet gaudio continuo maſculini gñis apparuere, ut porrũ, raſtrum, frenum, & cœlũ. Enimuero, porrum & frenũ dum Romæ per emporiũ Agonis

tranſirent, reperta ibi ſua neutra pluralia, grādi pecunia redemere, illiſq; uti maluere, maſculino gn̄e repudiato. Balſamū ex oibus arborum noibus ſolum remanſit neutri gn̄is: unde eſt q, cum nec gn̄are nec parere queat, tanta illius eſt raritas, ut unico in Iudæo ſolo reperiatur. Id qđ ipſa arbor ægre ferens in lachrymis oēm ſuum fructum mœſta repoſuit. Alia nomina neutro plurali ſpoliata, fœmininum accepe: ſicut epulū, oſtreū, ueſper, & cepe. Oſtreo (qđ ex oībus aīalibus ſolū repitur neutri gn̄is) Ouidius reddidit & alij Poetæ & præſertim Plinius, ēt plurale neutrum, cum dixit in libro Faſtorum, Oſtreaq; in cōchis tuta fuere ſuis, & ſic deinceps fœmininū ēt & neutrum tenuere. Alijs, quæ erant gn̄is incerti, in plurali datū eſt maſculinum, uidelicet margo, cardo, bubo, & ſimilia. Quædā oibus caſibus in plurali ſpoliata, deinceps mutilata, & manca remanſere, inter quæ fumus, limus, fimus, puluis, ſanguis, mundus, pōtus, ſol, ſal, & unus: quæ oía ſunt maſculini gn̄is. Soles tn̄ apparuere aliquādo: ſed cum id accidit, contra naturā fuit & pro prodigio habitum eſt. Similiter & fæminina nōnulla pluralibus caſibus truncata ſunt: unde uerſus, Lux, ſitis, labes, mors, uita, fames, quoq; tabes, Gloria, fama, ſalus, pax, humus, cum lue tellus, & cum illis ſenecta, inuenta, ſoboles, indoles, et proles. Quædā alia fœminina amiſere in eo bello oēm numerū ſingularem. ſ. argutiæ, habenæ, bigæ, blanditiæ, cunæ, delitiæ, exequiæ, exuuiæ, excubiæ, phaleræ, facetiæ, genæ, gades, inſidiæ, induciæ, calendæ, lachrymæ, latebræ, minæ, & complura alia. Nonnulla neutra toto plurali numero exuta ſunt, ut cœnum, fœnum, æuum, ſolum, pus, & uirus. Inſup alia neutra totius ſingularis ſui numeri iacturā ſunt paſſa. ſ. arma, caſtra, exta, cunabula, conchilia, crepundia, paſcua, mœnia, magalia, mapalia, illa, feria, præconia, præcordia, ſpōſalia, & fere oía ncia feſtorum, ut Saturnalia, Dionyſia, Amphrodiſia, Bacchanalia,

Floralia,neptunalia. Nomina ea uana,quæ ſemper plura dicunt,& tamen unum ſolum ſignificant,amiſſo omni ſingulari, fuga elapſa ſunt,ſicut,Venetiæ,Piſæ,Cumæ, Athene, & Thebæ.Nomina metallorum oíum pluralem numerũ amiſere , ut aurum aurichalcum,argentum, plumbum,ferrũ, & ſtãnum. Aes uix æra retinuit:ſed & oleum,& frumentum ſimilem cladem accepere.Alia extremis ſuis membris,genitiuis.ſ. & datiuis pluralibus mutilata remãſere,uidelicet iura,thura,æra, maria,& fora. Sed nec omnia noía in eo bello iacturam fecere:fuere ſiquidem complura quæ ſpolijs hoſtium ditata,maiorem exinde autoritatem obtinuere,ex quibus quædam ultra primum nũm alium ẽt adepta ſunt , ut arbor,quæ & arbos, honor qui & honos,labor qui & labos,odor qui & odos,cucumer qui & cucumis, ciner q̃ & cinis, & puluer qui & puluis quæ tamen ambobus nominatiuis non induuntur quotidie, ſed quod conſpicuum & ornatius eſt et ex præda habuere,ad dies reſeruant celebriores & feſtiuos.Plaga ultra primum ſignatum, quod proprium eſt dum uulnus, percuſſionemue ſignat, quatuor alios ſenſus accepit,uidelicet ut pro rete accipiatur, pro ſpatio cœli uel terræ,pro lintheo illo grandi quo Romanæ ẽt nunc matronæ utuntur,dum in publicum prodeunt, pro lecto,& parte etiam ipſius lecti.Ops ab ea die tres ſenſus hẽt. ops nanq; terram ſignat:ſub ope auxiliũ præbet , ſub opibus diuitias.Gerundia & Supina quoniã toties trãſfugerant, mulctata ſunt poſt confectã pacem ab utroq; rege,orãte cõtra ea Demoſthene,legeſq; Solonis proferente,quibus ſtatutũ fuerat oíbus patriæ honoribus priuãdos eſſe,eos qui ſeditione in ciuitate exorta,neutri parti adhæſiſſent: quoniã priuatis fortunis plus iuſto proſpicientes,publicas patriæ res deſpexiſſet ui debãtur,& uiuebatur tunc quidem ut plurimũ in Grãmaticæ terris Atticis legibus.Noíe igitur multæ Gerundijs caſus oẽs

præter tres, adempti ſunt. Supina uero duos tantũ retinuere, ægre id ferentibus uniuerſis grãmaticæ incolis: carpentibusq́; maledictis non tam legũ Solonis indiſcreta præcepta, quã Demoſthenis impiã loquacitatẽ, dicẽtibusq́; illum faſcias, & lanã domi reliquiſſe, nec gutturis morbũ ſimulaſſe quoniã a gerundijs, ſupinisue non fuerat unde aurum, ſicut ab Harpalo quondã, poßet accipere. Cæterum ſi ſingulorũ clades, aut rei bene eo prælio geſtæ adepta decora ſigillatim percurrere nitar, nimis longos afferam Logus. Ideo dicendi compendium faciam, illud aſſeruiſſe ſufficiat, quicq̃d in oĩbus Grãmaticæ terminis auctũ, diminutumue reperitur, ex illo cruento, execrabili, & funeſto bello proceſsiſſe. Multa ſunt in ea tẽporũ licẽtia, & introducta uerba noua, & exploſa uetera: Et niſi præſtãtisſimi tres uiri, quos paulo infra harum litiũ arbitros electos fuiſſe narrabimus, ſingulari ſolertia Grãmaticorũ quorundã petulentiæ obuiaſſent, tanta fuiſſet Latinæ linguæ immiſta barbaries, ut de illius decore, elegantiaq́; fere deſperatũ foret. Poſteaq̃ igitur utriusq́; partis legiões in caſtra reductæ sũt, deſideratorũ: ſauciorũq́; cẽſu habito, ĩtellecta utrinq́; accepta clade, oẽs pasſim ĩgemuere. Queſtiq́; acriter sũt, q̃d nimia dñandi libidine, reb' ꝓprijs tantã cladẽ intuliſſent: et pnía ducti, qsq́; eorũ, q̃ pacis ſunt enixius cogitabat. Primũ uero rex Noium Poeta, aduocata cõciõe, nõ ſine lachrymis, ita locut' ꝓhibet. Scire uos arbitror cõmilitones mei q̃ iuitus, ac reſtitãs ꝓ decore, proq́; amplitudine (ut tũc arbitrabar) & Noium tuenda autoritate, cõtra frẽs nr̃os. Verborũ gẽtem arma ſuſceperim: q̃tisq́; ſatagerim modis, ut illis nobis cedentibus, ciuilia, bella lõgius ſubmouerẽt. Verũ cũ non tã nr̃a, q̃ Verborũ ẽt melior dñna, cũ utriusq́; ptis ſtrages ĩtueor, flere libet magis q̃ loq. Opepreciũ fuerat reminiſci, q̃ de Grecorũ, Romanorũq́; ciuili b' odijs, bellisq́; ſcripſerũt ciues nr̃i, q̃tisq́; eorũ ãbitiõe lacera

uerint probris. Perfecto ea ſi in mentem uenißent, nuſq̃ in tantam inſaniã a nobis proceßum fuiſſet: nec ita & furore obceca ti, quid ageretur nõ intelligẽtes, noſtramet uiſcera ꝓprijs manibus diſcerpſiſſemus: ſed præterita (ut ille inq̃t) magis reprehendi pñt, quã corrigi, & melius eſt regredi, quã male cœpta ſequi. Si ferro decernere perrexerimus, ſi in finẽ uſq; inſanire uoluerimus, actũ ſane eſt de Grãmatice imperio: tantaq; ignorantiæ & barbariſmorum gẽti fiet acceſsio, ut nemine obſtante, nemine eorum temeritati obuiã eunte, ubiq; ipſi pro animi libidine dominari ualeãt: Quocirca cõmilitones ut utriuſq; regni utilitate conſulatur, ultro a Verborũ rege pacẽ petẽdam cenſeo, ultro dextras porrigẽdas. Neq; hoc dixerim q̃d labar aĩo q̃d timore concutiar: ſed quoniam luce clarius cerno res Noĩum, Verborumq;, non ſine mutua, ſtabili, & in cõcuſſa animorũ cõcordia poſſe cõſiſtere. Fungor ego officio meo ea adducens, quæ cõem ſalutem cõcernere minime dubito, audacter nihilominus, q̃d uolueritis executurꝰ. Vos itaq; q̃d facitis, deos oẽs fortunare uelim. Placuit murum in modũ uniuerſæ cõcioni non utilis minus quam opportuna ſui regis oratio, oẽsq; militum ordines, ingenti ſublato clamore, ut q̃d rex tam ſapiẽter ſuaſerat, ſine mora exequeretur, enixus petiere. Miſsi itaque in uerborum caſtra legati ex Noĩbus prudentiores, absq; aliqua difficultate conſtitutis primum inducijs, in hanc poſtremo cum Verborum rege, eiuſq; proceribus deuenere ſñiam: ut. ſ. tres eligerentur uiri oĩum Grãmaticæ uſuum, regularum & terminorum periti, quorũ deciſioni, arbitrioq; utraq; pars per ſancte iurata ſtare deberet. Enim uero grãdis fuit difficultas, & maxima inter partes contentio, quibuſnã id minus potiſſimum hmõi demandaretur, multis eã prouinciam ambiẽtibus, alijs alios noĩantibus, et noĩatos alijs improbãtibus: demũ Priſciano, Seruio, Donatoq; approbantibus, in infraſcriptos

cuncti unanimiter conſenſere, Phædrum.ſ. Volaterranum *canonicum Baſilicæ apoſtolorum principis, ſingularis eloquentiæ uirum, & extra oēm ingenij aleam poſitum:* Petrum *item* Marſum Laurentij *in damaſco canonicum eruditiſſimum : ac* Raphaelem Lippum Florentinum *oratorem inſignē. Qui cū in caſtra uocati adueniſſent partis utriusq; iuribus auditis, re inter ipſos accuratius conſiderata, hanc poſtremo ſnīam protulere. Quod* Grammaticæ *regibus, ſatrapis ciuibus, ſtudioſiq; uniuerſis fauſtum, fœlixq; ſit: Nos trium uiri tollēdarum littiū cauſa conſtituti, oēs contentiones, maledicta, iniurias, dānaq;, quæ in hanc diem inter* Grammaticæ *reges eorūq; milites interuenere, reuocamus, tollimus, & obliteramus, & ſi obliuioni tradi nequeant, at ſaltem ſilentio tegenda decernimus: ſtatuimusq; ut de cætero in conficiēda ſolemni orōne uterq;* Grāmaticæ *rex cū ſuis ſequacibus conueniat, uerbum.ſ. &* Nomē, Participium, Aduerbium, Præpoſitio, Interiectio, & Coniunctio. *In quotidiana uero & familiari oratione, ſoli* Nomen & Verbum *onus ſuſtinebunt, arceſcētes in patrocinium ſuū quos ex ſuis uolent: cæteris parcentes, ne toties citati, nimis grauentur. In oratione igitur uolumus* Nomen Verbo *ſupponi, & cū apponitur, a* Verbo Nomē *regi debere decernimus, quantū ad caſum: quantum uero ad perſonas & numeros, uerbum ſuppoſito cedere, quod ſit uel* Nomen, *uel pronomen, uel participiū. Item uolumus qđ* Participium *reuereatur* Nomen & Verbū: *habeatq; regimē a parte poſt ſui uerbi, a parte ante imitetur &* Nomen. *Si uero neceſſitas urgeat cōcedimus ſoli uerbo, ut in prima, & ſecūda pſona, & in quibuſdā uerbis exceptæ actionis, in tertia pſona ſenſum faciat orōnis, ſemp nihilominus ſub intelligendo* Nominis *autoritatem, ſed non exprimendo.* Hæc *itaq; ſnīa partibus præſentibus lata eſt, atq; promulgata, receptaq; ab oībus* Grāmaticæ *incolis, miro oium ordinū con-*

ſenſu: q̃ etiam omnia Italiæ gymnaſia approbauere, & præcipue Bononienſis docta ciuitas, & ſublimium ingeniorum parens fœcunda: quæ cum alias multos, tum maxime ætate hac Alexandrum illum Zambeccariũ, uirum integerrimum, quẽ nec ſpes, nec timor unq̃ mouit a recto, Romanæ dedit curiæ. Studium uero Pariſienſe cætera recipiens, hoc ſuis prouincialibus ſpeciale reſeruauit, pronunciãdi, ſcilicet tam Verba, quã Nomina libere, & ſine aliqua ſyllabarum quantitatis diſcretione. Et quoniam uetus erat quæſtio inter relatiuum & antecedens, inter adiectiuum, & ſubſtantiuum, inter dictionem regentem & rectam, determinantem & determinatam, necnon inter orationem perfectam & imperfectam (eorũ enim unuſquisq; de præeminentia certabat) ut huius quoque diſſenſionis materiam tollerent, decreuere, quod Relatiuum ſubſtantiæ identitatis, cum ſuo antecedente concordaret in genere, numero, & in perſona. Item quod Relatiuum ſubſtantiuo deſeruiret in genere, numero, & caſu: & quod dictio recta, naturam regentis ſequeretur. Relatiuum uero accidentis ſolum antecedens referret, quantum ad tale accidens, ſuæ proprietatem: in quo modo referibilis & referẽtis tantum concordaret regula diuerſitatis cum antecedente, quodq; oratio imperfecta dependeret a perfecta, & dictio ſpecifica a ſpecificata: & inter adiectiua, duo ſubſtantiua, duo uerba modi infinitiui, duas orationes perfectas, & duas imperfectas, nulla eſſet obligatio ſeruitutis. Hortabatur præterea Petrus. Marſus ut inter facta, dictaq; pacem & concordiã ponerent. Verum diſſuadente Phædro, dicenteq;, hac ſublata diſcordia, nullũ tonſoribus, popinariisq; linqui negotiũ, rem intentatam dimiſere. Ignorãtiæ ſtudioſos oẽs, ac barbariſmorum ridiculam gentem inuiolabili decreto oĩbus Grãmaticæ finibus ſubmouere, & barbariſmos quidẽ ad ſe profectos ciſalpinæ gẽtes ciuitatibus ſuis donaue-

re. Ignorantiæ uero dedito s quorundam principũ fauore protectos, non Italia modo, ſed Vrbs etiam ipſa bonarum literarũ parens, uel inuita tueri perſeuerat: in er quos nonnullos etiã præbendis pinguioribus honeſtatos rudes adeo & imperitos reperies, ut ſi eos interroges. Amo quæ pars eſt, dicturi ſint Parle ce que ie entens. uſq; adeo mulas ipſas, quibus tam ſublimes uehuntur, iſcita & obeſitate animi ſupergrediuntur. Prædictis inſuper arb tris oĩum cõſenſu irreuocabilis poteſtas, & perpetua cenſura data eſt, grammaticulos oẽs Grammaticæ corruptores, ſemilatinosq;, et ſemigræculos, tanquam naturæ monſtra, inquirendi, puniendi, relegandi, omneq; id faciẽdi, qđ bonarum literarum cultum, augmentumq; cõcernere aiaduerterint. Quod ut facilius aptiusq; exequi poſſẽt, iusſi ſunt ut curiã Romanã cõtinue ſequerẽtur: quo non tam bonorũ uirorũ frequẽtia cõfluit, q̃ malorũ fæces ſe frequẽtes exonerant: quæ quidẽ autoritas Põtificalibus, ĩperialibusq; amplisſimis priuilegijs corroborata dignoſcitur, et præcipue sãctis. D noſtri Iulij Põtificis incõparabilis, cui⁹ memoria nũq̃ ĩter morireẞ.

GASPARIS AVIATI CREmonenſis carmen ad Lectorem.

Lector candide quid legis Thyeſten?
Sæuas Colchidas? auribus placebunt
Quæ doctus cecinit magis Salernus
Andreas, dubios mouet tumultus
VERBI, & NOMINIS, hinc & hinc furentum
Hunc lector lege, fabulæ faceſſant:
Hic prompti Ciceronis & facultas:
Hic ſunt ridiculi ſales, iociq;:
Quid ſtas? hunc rigidi legunt Catones.

BELLVM

HIERONYMI FONDVLI CREmonenſis hexaſtichon ad Lectorem.

Nominis & Verbi lector ſtipe ſumito bellum
Quo pax nulla quidem dulcior eſſe poteſt.
Bella recognoſces, quorum ſine partibus, hoc eſt
Eloquio, omnis homo cederet uſq; feris
Hic iocus Andreæ defluxit ab ore Salerni,
Fluxerunt lepidi cum grauitate ſales.

EIVSDEM TETRASTICON.

Ranarum & Murum tam belle haud ponit Homerus
Bella gigantæas non ita Naſo manus.
Andreas quanta cum maieſtate Salernus
Ingenij bellum grammaticale canit.

Venetijs apud Franciſcum Rampazetum. Sumptu Melchioris Seſſæ. Anno domini.
M. D. LV.